



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

II. Beatam dicunt Virginem Indi, Japones, Chinæ; quia Patronam
experiuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

Aliud narrat *Spondanus* in epitome ad annum 591. Dei Genitricis auspicio Persas infideles victoriam consecutos. In finibus Biturigum est locus olim Avoricum, nunc Burges dictus, anno 546. Filius Judæi Eucharisticam mensam impredens cum Christianis pueris accessit, quod parens non ferendo in fornacem eum coniecit: invenerunt puerum paulò post illæsum Christiani, & requisierunt quocustode illæsus mansisset, illa respondit quæ in Christianorum templo Filium bejulat. Et ita evenit quod *Mattheus Cantacuzenus* in 1. cant. commentando scripsit. Salomon qui prænoverat ex femine suo nascituram Virginem ob id etiam secundum vestigia (inquit) egredere gregum, videlicet Filiorum secundum sanguinem meorum, exorere: & pascere hædos tuos.

2. Beatam dicunt Virginem Indi, Japonæ, Chinæ.

Quia Patronam experiuntur.

Præclare serviunt proposito verba *Ruperti* in 4. Cantic. Quidquid gratiarum, quidquid virtutum, quidquid operationum cælestium mundus accepit, emissiones tuæ (ô Virgo) sunt, ut ubi erant prius spinæ & vepres, & carduus, lappa, & tribulus, urticæ, & paliurus, universitas nequitiarum, ibi sit cyprus cinnardo, nardus & crocus, fistula & cinnamomum, myrrha & aloe, universitas gratiarum.

Propiora sæcula respiciamus & illis inventas Indias Orientales. Hæc certe fidei debent beneficium fidei, quia ope Virginis detectæ per Vasquium Gammam sub Rege Lusitanæ Emmanuele, quod ipsum iste Rex professus, excitato templo Sacro Virgini in littore Olisiponensi uti scribit *Maffæus lib. 2. Hist. Ind.* Sed rem particulariùs prosequamur. Insula Cuba est in Oceano, in hac Regulus quidam plurimas victorias consecutus, quia Ducem habuit Christianum, qui in pectore præferens Virginis imaginem, ubi in hostes incubuit, illic certa hostium fuga, & strages. Orta est dissensio inter Indos præstantiorne foret imago Mariæ, an Indicorum Deorum, conventum in hunc modum: Duo hinc, & inde Juvenis partes sustinerent. Mariani ligarentur ab Indianis, Indiani à Marianis, quorum deinde vincula spontè solverentur, ij victores. Processum in campum, in clame Regulus *Ave Maria*: Adstat Matrona mirabili majestate, quæ ad suos appropinquans, & virgam manu tenens, eos vinculis exsolvit, qui sua statim vincula adversarijs adjecerunt. Renovari Indianis nihilominus vitum est necesse ceremoniam renovatam; sed idem evenit. Hæcubi res divulgata plurimi è barbaris

Christo

Christo accessere. Huc refer quæ diximus de Gamma Lusitano *cap. 4. num. 2.* Illud verò quod *Allofa narrat lib. 4. coel. stell. cap. 2. n. 2.* interim accipe. Indus quidam senex obitinatissimè suo gentilismo inhærebat, pertinaciam hebetudo ingenij fovebat, cumque multum circa illum, sed nullo successu à sacerdote Christiano fuisset laboratum: tandem ad S. Virginem se vertens sacerdos illi imaginem ejusdem objicit; quam ubi ille quamdiu contemplatus, ita in alterum transijt, ut non solum facilem, sed & capacissimum se exhiberet instructori, ac tinctus sacro fonte, in beatiorè vitam abiit.

In Regno Chilensi Insula (rem totam defumo ex *Atlante Mariano edit. 20. fol. 74.*) incolæ vocant Tenariffam, Hispani magnam Canariam: Statua est miraculosa B. Virginis nata inter saxa, hæc nescio quibus barbaris cæremoniis culta, priusquam ullus Christianus eò adveniret. In eodem Regno *ibid. fol. 78.*) in ea parte terræ Araucanæ quæ Tubulia dicitur, non multum à mari, mons est in quo spelunca ad hemicycli formam peritissimè facta, ubi statuam Virginis cum Jesu natura ex eodem saxo produxit, multis illa ethnicis cultui fuit, sed Virgo in eos vicissim beneficia eodem loci refudit: nam peste affecti, pulvere ejus loci sumpto, convalescebant.

Refert *Navarr. tr. de Orat.* In ora Comocinensi cis Gangen juxta urbem Coulam Virgini nostræ templum à gentilibus erectum. *Gonzalez lib. 1. hist. Chinesis* etiam apud Chinas repertum signum Virginis bajulantis, idque repertum in delubro. Apud Japones testatur *Joannes Bonif. lib. 2. hist. Virg. cap. 1.* Mulierem tenentem Filiolum solere depingi, ad eamque Japones velut communem Patronam in rebus afflictis solere confugere.

3. Beatam dicunt Virginem Oracula gentilium & Sybillæ.

Quia annunciârunt Virginem parituram.

Missus à S. Petro S. Potentianus in Gallias, ubi Carnotum venit, plebem parituræ Virgini ex avita traditione devotam invenit, ut est in *Martyrol. Domini de Suassay 31. Dec.* speluncam ibidem dicatam à gentilibus B. Virgini reperit, quæ tanto semper apud omnes fuit honore, ut Virginis thalamus cameraque antiquitus fuerit appellata. Sed altius rem repetam. Druidæ idem erant apud Gallos, quod Brachmanes apud Indos, uti patet ex Julio Casare de bello Gallico Sacris præerant, consilia Regibus dare soliti. Hi certo quodam tempore Carnoti, quæ Provinciæ Lugdunensis hodiè civitas est, confederunt, comitia celebrârunt.

Bb 3.

brârunt